

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.





1662.

1. Beckmann, Joh. Volk. : De barrataria.
2. Beckmann, Joh. Volk. : Jus comuliorum
3. Bosius, Jo. Andreas : De imperio Turcico
4. Falckner, Johannes Christophorus : De dolo, culpa et  
casu, quatenus in contractibus praesententur
5. Falckner, Johannes Christophorus : De tutelis heres  
arquant.
6. Falckner, Johannes Christophorus : De contractibus  
realibus.
7. Frieleben, Johann Jacob : De forma crucifixum,  
in qua scilicet Crucifixorum potentissimum assertus.
8. Richter, Christophorus Philippus : De jure aere  
eorum Hungarum.
9. Richter, Christophorus Philippus : De usu conditio-  
nis in principationibus juris materiis



1662

10. Richter, Christophorus Philippus: Ino de tractatibus. 20
11. Richter, Christophorus Philippus: De sequestratione. 20
12. Richter, Christophorus Philippus: De senatus consultis. 20  
Macedonicis. 20
13. Richter, Christophorus Philippus: De praescriptio-  
nibus. 20
14. Richter, Christophorus Philippus: De parte  
judicii mantentionis terminis in ea servandis.
15. Schenckius, Johannes Theobaldus: De vulneribus.
16. Schenckius, Johannes: princeps successor.
17. Schroeter, Ernestus Fidericus: De proseretis.
18. Schroeter, Ernestus Fidericus: De singulari delictis.  
solum jure.
19. Schroeter, Ernestus Fidericus: Lectoriae duae dabo.  
vni juris dicendi in difficultatibus practicarum




legitimus decisorum.

20 Schroeterus, Inventus Fideiarius : De usufructibus & ca  
libus

21. Schroeterus, Inventus Fideiarius : de Divortio.

23. Schroeterus, Inventus Fideiarius : de jure usufructibus.







Q. D. B. V. 1662, 17 7

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

FORMA

CRUCIVM,

In qua SEDILE Crucifixorum potissimum asseritur,

QVAM

DEO clementer annuente,

ET

Amplissimo in Incluta Academia Ie-

nensi Philosophorum Ordine benevolè  
permittente,

*Publico Eruditorum examini submittes*

M. IOHAN. IACOB Freiesleben/

EISENBERGENSIS,

RESPONDENTE

IOHANNE CRAVSIO,

THUMA-MISNICO.

*ad diem Aprilis*

In Acroaterio Philosophorum

Hora & loco destinatis.

ANNO M. DC. LXII.

Typis

Johannis Jacobi Bauhöfferi.

S. T.  
J. N. A. JACOB, S.

28.





VIRIS.

*Excellenti auctoritate, Amplitudinis claritate, Auxilii dexteritate e,  
Judicii gravitate, Justitiæ sinceritate eminentissimis,*

**DN. IOHANNI Freiesleben / J. V. D. &**

Practico apud Altenburgenses celeberrimo, nec non Curiaë Pro-  
vincialis Ducum Saxonie communis, quæ Jenæ est  
Advocato dexterrimo,

**DN. FRIDERICO Freiesleben /**

Quæsturæ Eisenbergens. Præfecto laudatissimo,

**DN. M. ESAIÆ Gerhard / Medic. Cand.**

meritissimo, Practico apud Eisenbergens. felicissimo,

**DN. HENRICO CHRISTOPH.**

Schlichtekrull, Præfecturæ Eisenbergensis Iudici dignissimo,

**DN. IOH. FRIDERICO Laun /**

Cameraë Senatoriæ Naumburg. à literis fidelissimo,

*Musarum mearum Patronis magnis*

Hoc studiorum experimentum, pietatis  
& observantiæ inviolabilem teseram,  
extare volui.

M. JOH. JACOB Freiesleben.





ΠΡΟΤΥΛΙΟΝ.

**O**peræ est, exspatiari per Antiquitatum latifundia, & quæ ob vetustatem nonnullis ignorantur, in apricum producere, ac in memoriam mentemque revocare. Delectentur autem aliis alii: nos, ne præter propter vitam vivere videamur, pietatem *Salvatoris*, temporis observantiam admetientes, τὸ πρῶτον,

— — — & id, quod instat, agemus.

Cum itaque hætenus in explicatione Historiæ de immerita Passione Salvatoris nostri **CHRISTI JESU** inter alia percepimus, quod ipse unâ cum duobus latronibus **CRUCI** sit affixus, nonnulla de ejus Formâ in chartas conjicere animi induximus. Tu autem, crucifixe **JESU**, nostris annue cœptis! Sub cuius auspiciis esto.

§. I.



Uod apud Romanos consuetudo fuerit facinorosos clavis cruci affigere, notum est ex testimonio *Seneca*: (a) *Cum refi-* a. *De Vit.*  
*gere se crucibus contentur, in quas unusquisq;* *Beata co*  
*vestrum clavos suos ipse adigit.* De Græcis *XIX.*  
idem constat ex *Apollinis* Oraculo quodam:

(b)

Ῥόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν:  
*Clavisq; & palis mortem exantlavit acerbam.*

Itemq; ex *Ulpiano* in *Demosthenem* *περὶ ἡλῶται* explicante, *Σταυ-*  
*ρῶ περὶ ἡλῶται τοῖς ἡλοῖς: cruci affigi clavis; Et Nonno de Serva-*  
*tore:*

b *Apud*  
*Lactant.*  
*l. XV. cap.*  
*XIII.*

Α ε

Καὶ





Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων:  
*Et pedibus manibusq; ferens stimulos ferratos.*

§. II. At quam multi eorum fuerint, autores dissident. Hinc alii statuunt tantummodò tres, ut *Nonnus*, qui Christum depingit:

— αἰμετρήτῳ δὲ πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ  
Διπλόον ἦτορ ἔχοντα μὴ τετρασημένον ὀρμῆ,  
Ποσσὶν ὁμοπλεκεσσιν.

Facit, ecce! magno & singulari clavo pedis utriusque pedis sculum transfigi, & quidem uno ictu, idque pedibus mutuò impositis & complicatis. Simile & *Naxianzenus* habet:

Γυμνὸν τρισήλω κείμενον ξύλω λαβῶν:

*Nudum triclaui repositum ligno auferens.*

c. *De Glor.* §. III. Alii contra quatuor, ut *Gregorius Turonensis* (c) c. *cap. VI.* tante *I. Lipsio*, (d) *Qui: Clavorum, inquit, dominicorum quòd d. Lib. II. quatuor fuerint, hec est ratio: Duo sunt affixi in palmis, & duo de Cr. c. IX in plantis.* Sed & *Cyprianus* (e) melior antiquiorque auctor s. *Serm. de passion.* *πληθυντικῶς* scripsit: *Clavis sacros pedes terebrantibus. Quid? quod Plantus* (f) totidem ex more adstruere videtur:

f. *Mostel. lar.* *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excurrerit. Sede a lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.*

g. *Tom. I. Dispp. A. cad. pag. 506. & 507.* Et si quid monumentis, ait *Excellent. Dn. Dilherrus*, (g) credendum; certissimè singuli pedes seorsim fuere perforati fixique. In templis Græciæ hodiè passim Christus, disparatis pedibus adfixus pingitur. Adservatur insuper nummus Græcanicus aureus in monasterio Laëtienfi in Hannonia, in cuius altero latere est imago Salvatoris quatuor clavis affixi. Quin & clavis, qui Treviris adservatur, in memoriis, quas *ja-*stant, antiquis disertè *clavis pedis dextri* vocatur.

§. IV. Cùm ergò facinorosi *CRUCI* fuerint affixi, eorumque manus & pedes tribus vel quatuor clavis perforati, non inutile erit quærere, *Quomodo corpus, præsertim sat ponderosum, per tempus longum potuerit sustineri, cùm manus clavis confixæ non videantur pares ferendo corpori indè pendulo?*

§. V. Autores hîc in diversissimas abeunt sententias. *Quidam* enim statuunt, quòd mos Romanorum fuerit, crucifixo circa



circum humeros aut pedibus funus injicere, ne corpus proueretur & manus dehiscerent. Et hæc sententia placere videtur Lipsio, (h) qui sic scribit: Ergò de clavis certum: an etiam de funibus? Sunt exempla: Ansonius suum Cupidinem facit Deuinctum post terga manus, substricta q̄ plantis vincula moerentem.

h. Lib. II.  
de Cruc. c.  
IIX.

Et communi ligandi verbo in hac re Artemidorus (i) usus: *σαυρωδου*, inquit, *αυδου αραμω ραμων περσωρρενει*, διὰ τῆν δέων crucifigi (in somnis) viro celibi nuptias designat, obligaturam, quia scilicet ligno jungitur copulaturq̄. Quid, quòd D. Andreas ita alligatus si credimus Abdia Babylonio, (k) seu quicumque operis illius auctor est? Is enim disertè, addita etiam causa: Proconsul, inquit, mandat questionariis, ut ligatis manibus & pedibus, non clavis affixus suspenderetur, quò diutino cruciatu deficeret. Idem statuit quoque expressis verbis, Josephus Scaliger, (l) *σανωδου* ad præcipua in historia crucis sunt, το υποπόδιον, & το ἐξέχου *mado*. ad πῆγμα, & tertium funes, quibus alligabantur, sine quibus non fiebat crucifixio, & quibus ignoratis, ignoratur tota de cruce tractatio. 218.

i. Lib. II.  
c. LVIII.

k. Lib. III.  
Hist. Apo.

l. in Ani-

At Resp. hoc pronunciatum fortassis magis audax est, quàm verum. Factum enim rarissimè, & ubi forte non, aderant clavi.

§. VI. Alii autem hanc sententiam prorsus deleerunt, & contra *υποπόδιον*, seu suppedaneum, h.e. asserculum sive tabellam asserunt, in qua innixi & affixi fuerint pedes, non quidem cancellati, sed separati duobus clavis. Lipsius, licet assensum suum hîc suspendat, dum scribit: (m) *Hoc malim*, (scil. aliam sententiam, quæ c. l. narratur, ) *quàm cum aliis asserculum sive tabellam inducere, in qua innixi & fixi simul pedes*; attamen in Notis (n) producit *ετυπον* nummi Græcanici veteris, (quod ipsi Dionysius Villerius misit, ) quem aureum asseruari scribit in monasterio Laëtienfi in Hannonia hæc inscriptione: ΚΟCΜΟΥ ΤΟ ΑΥΤΡΟΝΑΙΜΑ ΤΟΥ ΘΥ ΛΟΓΟΥ: mundi redemptio sanguis DEI verbi.

m. Lib. II.  
cap. X.

n. ad Lib.  
II. c. X.

§. VII. Apertè huic sententiæ patrocinatur Gregorius Turonensis: (o) Clavorum ergò dominicorum, quòd quatuor fuerint, hæc est ratio: duo sunt adfixi in palmis, & duo in plantis: & queritur:

o. Lib. I.  
de Glor. c.  
VI.



tur: cur plantæ adfixæ sint? quæ in cruce sancta dependere visa sunt potius, quàm stare? sed in stipite erecto foramen factum manifestum est: pes quoq; parvula tabulæ in hoc foramen insertus est: super hanc verò tabulam tanquam stantis hominis, sacra adfixæ sunt plantæ.

p. In Li-  
bel. de  
Crucif.  
Jesu Chr.  
sti, p. 46.  
q. Epit. I.  
de Cruc.  
p. 255.

§. VIII. Sed respondemus in genere huius sententiæ favoribus I. ex Dilberro: (p) Recentior est iste autor, (qui vixit sub Imperatore Mauritio) ut & socii ejus, quàm ut eis, hac in re, tacita omni Antiquitate, possimus fidem habere: etsi fatemur, inveniri ejusmodi cruces, sed recentiores, cum suppedaneo, ad mentem Turonensis, figuratas: & nos ipsi talem habemus in libro quodam membranaceo antiquo. Cum hac responsione coincidit & illa Salmasii: (q) An credibile est, Gregorium, qui vixit tanto tempore postquam crucis supplicio nemo amplius afficiebatur, quod lege sua sustulit Constantinus Magnus, certior esse testem de habitu crucis totius, & omnibus ejus partibus, quàm eos auctores, qui scripsere, cum adhuc passim in usu esset communissimo nocentium crucifixio? De eo quod quotidie videbant, nonne verius testimonium reddere potuerunt, quàm qui nullam unquam crucem viderunt, nisi pictam aut fictam?

§. IX. II. Dicimus, quòd prædicti Gregorii & omnium ipsius Adfeclarum sententia de suppedaneo rationi minus consentanea esse videatur. Nam pedes, quamvis fulcro innitantur, tamen labascentibus genibus, oneri confestim cedunt. quod crucifixis citius evenisset, tot cruciatibus antea enervatis. Quæ quæso pedes, pegmati suppedaneo adfixi, prohiberi potuissent, ne manuum tendines rumperentur & corpus crucifixi procideret? Unde & Calixtus: (r) Neq; verò, si maxime ponatur, sustinende moli quicquam fecisset. Quò enim corpus & pedes recto stipiti arctius adplicantur, eò illud prorsum ruerè pronius. Quod cuivis experiri in proclivi est ad proximum saltem parietem corpus & pedes strictè applicanti.

§. X. III. Dicimus, quòd suppedaneorum, stante Gregorii & aliorum sententia, longè alius usus fuerit, uti ad oculum ostendit anrè nominatus Salmasius: (s) Non appositum illis, inquit, suppedaneum, ut cruciarii corpus in illo pedibus sisten-

tis



is requiesceret, & quasi sustineretur, ut vulgò persuasum doctis esse video. Ad hoc enim suppositum fuit, si tamen fuit, crucibus ὑποπόδιον, ut pede in eo posito cruciarius posset inscendere per se, & lignum, quod in medio infixum extabat, insidere, eodem prorsus modo, quo equus inscenditur ab equite, pede ad sublevandum se imposito instrumento illi ferreo, quod vulgò stapeda nunc appellatur.

§. XI. His ita quæ præmissis, quæ nobis ad refellenda suppedanei assertorum argumenta inservire videbantur, ipsissima Gregorii verba inspiciamus. Inter alia autem dicit: *in stipite erecto foramen factum manifestum est.* Dicit quidem, sed non ostendit, unde hoc manifestum habeat. Extra dubium est, quòd foramen in erecto stipite factum sit, sed eo fine, ut palus ei infigeretur, cui insideret facinorosus, non, ut in eo pedibus infixis staret. Quomodo, quæso, videri potuisset stare homo in cruce mortuus & putrefactus, ut moris erat plerumque in cruce relinqui donec planè diffuerent? Ponamus, non diu relictos Ille primùm in crucem sublatus & solas manus clavis perforatas gerens ad lignum crucis transversum, si pedes impositos asserculo habuisset, & in eo etiam clavis perforatos, uti loquuntur, quomodo stantis statum retinere valuit, pedes quidem descendere inferius ὑποπόδιον prohibente, corpore verò suo ipsius pondere deorsum cadente? Sic reverà curvatum corpus, non rectum, ostendisset.

§. XII. Nil obstat, quòd cruces in multis Europæ templis ita conspiciantur cum suppedaneo? Resp. Quid tum? Notum est, quòd istiusmodi homines magnam sibi licentiam in pingendo sumant, & interdum etiam tam in rebus sacris, quàm prophanis, contra historiarum veritatem & fidem, valdè peccent. Exempli locò nobis esto Ganymedes, quem à Jove raptum in cælum finxerunt Poëtæ, hunc pictores aquila insidentem cum raperetur, pingunt, quem tamen aquila pedibus uncis capillo levatum tulisse, in cælum memoratur. it. Trabes palmeæ non cedunt oneri, sed sursum potius curvantur. At pictores pingunt arborem palmæ, è cuius ramis homo pendens sursum vi palmæ tollitur. Et quæ sunt exempla alia forsitan plura. Non tamen inde sequitur, E. iis fides est danda.

§. XIII.



ε. in Try-  
phonis Di-  
aloga.  
u. Lib. II.  
advers.  
Heres. c.  
46.

§. XIII. Alii denique aliam sovent sententiam, & nul-  
lum aliud agnoscunt subsidium, quam *palum* è medio crucis  
eminentem, qui cruciario pendenti supponebatur, ut in eò  
quasi sederet ac inequitaret. Et in hac sententia è Patribus  
sunt, *Justinus* (t)  $\kappa$  τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγυόμενον ὡς κέρας, καὶ  
αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν ἐφ' ᾧ ἀποχῶνται οἱ σαυρέμενοι: Et quod in medio impa-  
ctum est, instar cornu & ipsum eminent, quo vectantur, qui cruci  
affiguntur. *Irenæus* (u): Ipse habitus crucis, inquit, fines &  
summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudi-  
ne, & unum in medio ubi requiescit qui clavis affigitur. Hic ta-  
men observandum est, quod *Justinus*, qui quatuor, & *Irenæus*,  
qui quinque extremitates crucis designat, reapse non diffe-  
rant. Ille enim extantes tantum sive eminentes numerat ex-  
tremitates, hic stipitis arrectarii extremitatem etiam addit  
infimam, terra licet obrutam ac defossam. Describit verò u-  
nam in medio, ubi requiescit, qui clavis adfigitur. Quæ verba  
de suppedaneo, cui pedes affixi, non possunt intelligi: cum  
hominis pendenti corpus nullum habeat in pedibus sustenta-  
culum, quippe qui oneri statim cedunt: sustentatur autem  
corporis moles nullibi firmiter quam in ligno sub ventre emi-  
nente. *Tertullianus*: (x) Pars crucis & quidem major, est omne  
robur, quod erecta statione desigitur. Sed nobis tota crux imputa-  
tur, cum antenna scilicet sua, & cum illo sedilis excessu. Ubi  
sedile nihil aliud est, quam id, in quo sedetur; non verò id,  
quod pedibus subjicitur.

x. Lib. I.  
advers.  
Natim.  
cap. 12.  
y. Lib. de  
Vera Cr.  
Form.  
z. In Disp.  
B. D. Major, Jun. (z) Excell.  
Dn. Dilherrus (aa) & alii.  
Sic ete-  
quad publ. nim c. 1. scribit Dilherrus:  
Quid dubitamus? cum Tertullianus,  
habita an. scriptor vetustissimus, & non multo inferior Justino, clarissime no-  
1649.  
aa. In Li-  
bell. de  
Crucif.  
I. C.  
bb. Epist.  
I de Cruc.  
p. 340.

§. XIV. E Nostratibus autem sunt, *D. Georg Calixtus*, (y)  
*B. D. Major, Jun.* (z) *Excell.* *Dn. Dilherrus* (aa) & alii. Sic ete-  
quad publ. nim c. 1. scribit *Dilherrus*: *Quid dubitamus?* cum *Tertullianus*,  
habita an. scriptor vetustissimus, & non multo inferior *Justino*, clarissime no-  
1649. bis in cruce proponat roboris directam stationem, i. e. stipitem ar-  
ctarium: *dipalum* (quam vocem tamen *Cl. Salmasius* (bb) pro  
mendosa habet, cum sic scribit: pro illis, quæ in vetere libro sic  
scripta sunt, sine formarum dipalo, rectè à viro docto, qui editio-  
nem ultimam hujus auctoris dedit, (Rigaltium designat) emen-  
bb. Epist. datum arbitror, sine forma, rudipalo, & solo staticulo) sive an-  
I de Cruc. temnam, i. e. lignum transversarium; & soli staticulum, sive sedi-  
lis



lis excessum, i. e. prominulum aliquod lignum, in quo crucifixi sederent & sustinerentur.

XV. E prophanis scriptoribus Seneca (cc) qui Mecænatis cc, Epi. CI recenset versiculos:

Debilem facito manu,  
debilem pede, coxa;  
tuber adstrue gibberum,  
lubricos quate dentes.  
Vita dum superest, bene est.  
Hanc mihi vel acuta  
si sedeam cruce: sustine.

Quæ verba tamen, ut de Impalatione Turcis usitata, qua homo ab imo ad summum per mediũ transfigitur, intelligantur non opus est. Acutam illam crucem, in qua sedenti sibi vitam relinquere præoptat quam mori, de illo sedilis excessu, cui in cruce infidebat vel inequitabat crucifixus, intelligendam esse ostendit ipse Seneca his verbis, quibus Mecænatis illos versiculos explicat: Suffigas licet, & acutam sessuro crucem subdas, est tanti vulnus suum premere & patibulo pendere districtum. Suffixa in medio stipite crucis quasi altera crux, palus ille acutus, & sessuro in eo cruciario suppositus & subditus. Hinc & suppositum truncum vocavit Innocentius. Quod de suppedaneo non potest accipi. Multò minus de trunco aliquo ad fulciendam crucem appposito, ut interpretatur Lipsius.

XVI. Quid verò ad hæc prolata dicit Apostata, Nihusius? carpit, pro more suo, pleraque. Et quia nonnullorum Ecclesiæ patrum autoritatem citavimus, prorsus destruere eam allaborat. Ita enim fabulatur: Ecclesia de sedili testimonia Iustini, Irenei ac Tertulliani non recepit unquam, aut existimavit esse certa, sed solum puris putis accensuit conjecturis. Cui falsissimæ objectioni quia An. præsentis seculi LI. D. Thomas Bartholinus (dd) satisfecit, dictus liber autem in omnium dd. Lib de manibus non versetur, responsionem ejus quoad potiora ad Cruce ducemus. Graviter, inquit, nisi erro, in Ecclesiam peccasti, Christi. Nihusius, audaciori hoc responso, quippe quæ ea testimonia Patrum damnavit nunquam. Ecclesiæ saluti officiet nihil illud πῆγμα, si vel maxime verum sit auctoritate illorum. Alia non raro credunt mortalis

B

mortalis



mortales sine testimoniis, quæ cum testimoniis etiam Reipublica & Ecclesia forent periculosa. An auctoritatem Patrum trium unquam suspectam habuit Ecclesia? Gratis id dixeris. Justinus certè, pergit, & antiquitate & doctrina & genere mortis primus à temporibus Apostolorum inter Scriptores meretur locum. Non minorem fidem meretur Irenæus martyrio quoq; nobilitatus; cujus libros doctrina plenos & pietate ipse Bellarminus laudat. Errores in eo parciores leguntur, communis nempe illa pluribus Patribus de millenario Christianorum regno opinio. At de crucis hoc errore ne gry quidem annotarunt Centuriatores Magdeb. nec Baronius, nec Possevinus, nec alius hujus classis Aristarchus. Tertuliani verò autoritas neququam hoc loco elevanda, quod ad Montani heresim prolapsus sit, vel secundas nuptias adversetur vel fugam damnet, vel animam ex traduce derivet; Nihil illa heresis cum crucis partibus, in quibus non laborat Montanus.

XVII. II. Provocat ille nugarum hamaxarius ad Ecclesiæ picturas: Quis enim nesciat Ecclesiam è tot jam seculis effigiare Christum crucifixum solitam, sed sine vestibulo isto? Sed Resp. si pictoribus semper fidem habere volumus, valdè decipiemur. Certum est, Ecclesiæ Antistites non semper sculptoribus pictoribusque ponere leges in iis, quæ salva fide & ignorantur & creduntur. Pictores autem vel eo titulo venia dignos pronunciarim, dicit Bartholinus, quod vestibulum istud unà cum partibus à natura occultatis velo sacro tegant omnes, quanquam an planè nudis partibus cruci sit affixus Servator discernant crucifixi. Libertatem interim permisit tacitus Ecclesiæ consensus, ut cum partibus, quas sustinet, etiam sedile tegant.

ec. Lect. de Cruce p. 10. & 16 XIX. Cum hac responsione quoad posteriora verba consentit quoque D. Calixtus: (ee) Constat autem, inquit, crucem non nisi duobus ductibus, atq; ita solas duas præcipuas partes formari; sedilis autem, utpote partis præ stipite & antenna exigua, & quasi supperaddite, rationem non haberi, nec haberi quidem commodè, talibus & eum in modum aëri inscriptis lineamentis, posse. Indè postmodò cruce non alia, quam quales digitis in aëre formata, ex materia fieri, & pluribus rebus adpingi, vel adponi  
expe-



ceperunt. Sic itaque Nihusius nihil subsidii ab Ecclesiae picto-  
ribus mutuari potest.

**XIX.** Multò minus movemur ab iis, qui ad inventionem  
Crucis Christi ab Helena, Constantini M. matre factam, con-  
fugiunt, & dicunt: ne ullus autor ex iis qui historiam inven-  
tae Crucis Dominicae narrant, meminit ligni illius, seu pali,  
qui è medio stipite, cui impactus erat, prominebat, ad susti-  
nendum corpus Christi. Quis ergò illum credamus? Resp.  
breviter: omnia quæ de inventa hac cruce narrantur, esse  
pura puta inventa & commenta cujusdam fortassis Episcopi  
Hierosolymitani, qui ut huic fabulae auctoritas à magno no-  
mine constaret, Helenæ adfingit, quod illi nunquam accidit,  
ut faceret. Probamus autem nostram sententiam I. Indè,  
quia veritati consentaneum non esse videtur, quòd crux Do-  
mini, quæ trecentos & amplius annos, uti Autores volunt, in  
terra defossa & rudibus cooperta fuit, non computruerit?  
II. quia Eusebius, qui tameneo tempore vixit, quo hæc in-  
ventio crucis facta refertur, & res Constantini M. ac Helenæ  
matris studiose tradidit, ne literam quidem hac de re habet.  
Narrat quidem in vita Constantini, Constantinum ipsum plu-  
res Ecclesias & ædificia sacra splendidissima exstruenda curas-  
se in urbe Hierosolymitana, & sepulcrum Christi variis rebus  
ornasse & decorasse: Templum Veneris, quod ibi à gentili-  
bus exstructum fuerat, solo aquasse, locum eruderasse & pur-  
gasse. Narrat etiam, quomodo Imperatrix Helena Bethle-  
hemum profecta sit jam vetula, & quomodo loca sancta visita-  
verit, debitamque reverentiam iis reddiderit, quibus im-  
pressa erant Servatoris vestigia. De duobus etiam templis ab  
eadem ædificatis ibidem tradit, uno in urbe Bethlehemica,  
altero in monte Olivarum. At de inventione Crucis Domi-  
ni nihil. III. Fabulosam esse hanc historiam, vel illud evincit,  
quod cum tunc nescirent, qualis forma antiquæ crucis fuerit,  
abolito pridem ejus per Constantini edictum supplicio, talem  
eam inventam somniarunt, qualem fuisse olim imaginati  
sunt. Sine illo sedili medio nobis eam dederunt, quod ve-  
teres omnes ei adstruunt, & sine quo certum est neminem o-  
lim



sim in crucem fuisse sublatum. Et quæ sunt argumenta alia  
plura, quæ clarè ostendunt, omnia de hac inventione dicta  
esse ficta, picta, & à sanioribus nunquam scripta.

XX. Quamvis autem adhuc alia non adeò injucunda in  
medium proferenda essent de Forma Crucium; attamen  
quia tempore & charta hac vice excludimur, hîc  
subsistimus &

DEO GRATES AGIMUS!

---

## ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I. *An carnifex occidens sit causa Physica, an verò Moralis  
mortis? Aff. prius.*

II. *An ex Minore negante in tertia Figura aliquid sequatur?  
N.*

III. *An Zygeni in Republica sint tolerandi? N.*

IV. *An fortes sint illi, qui artibus Diabolicis membris suis  
stuporem inducunt, ne vel vulnerari queant in bello, vel ullum ex  
ictu dolorem in corpore sentiant? N.*

V. *An Judæus immortalis, vel æternus, uti eum vocat Joh.  
Cluverus, adhuc detur? N.*

FINIS.











Jena, Diss., 1662

A-Stg

ULB Halle 3  
004 814 398



f


VD 17











Q. D. B. V. 1662, 17 7  
DISSERTATIO ACADEMICA

DE  
**F O R M A**  
**C R V C I V M,**

In qua SEDILE Crucifixorum potissimum asseritur,  
*QVAM*

**DEO** clementer annuente,

*ET*

**Amplissimo** in Incluta Academia Ie-  
nensi Philosophorum Ordine benevolè  
permittente,

*Publico Eruditorum examini submittes*

**M. IOHAN. IACOB Freiesleben/**  
EISENBERGENSIS,

RESPONDENTE

**IOHANNE CRAVSIO,**  
THUMA · MISNICO.

*ad diem Aprilis*

**In Acroaterio Philosophorum**

Hora & loco destinatis.  
ANNO M. DC. LXII.

Typis  
Johannis Jacobi Bauhöfferi.

S. T.  
SACOB, J.

28.

